

fundatam, operá Viri Excellentissimi Martini Mellerstadii & Johannis Staupizii S S. Theologiæ Doctorum, ac id temporis quadraginta Monasteriorum Augustinianorum in Misnia & Thuringiá Superintendentum instauraret, concedens Viris eruditione ac virtute Excellentissimis doctos alios Viros cooptandi ac munera decernendi potestatem, qui tum temporis M. Lutherum utpote eruditione & pietate reliquos antecellentem Anno Millesimo Quingentesimo octavo V Vittebergam ad Professionem procurandam Theologicam vocárunt legitimè. Quo facto semper jejuniis, precibus, lucubrationibus ac vigiliis ipse confirmabatur, crescebat, animabatur; Ardentius autem & vigilantius Biblicis ita incumbere meditationibus, ut cum nullú otium, atque negotium retardárit, neque somnus, neque fames, neque sitis, neque frigus neque calor ab illo incepto studio removere potuerint. Dehinc Excellentissimus Dominus Doctor Mellerstadius de ejus summá solertiá sic judicans vaticinium hoc edidit verissimum: Novellus iste Monachus certe Nostrates omnes Doctores multo intervallo exuperans, recentiorém doctrinam & in Ecclesiá Romaná reformationem excitabit. In gravibus enim sacrarum rerum componendis dissidiis, relicta Philosophorum profaná cynosurá, ad unicum illud Verbi cælestis lumen ac Pharon, cujus vel unius intuitu per medios sese Sophistarum, Scotistarum, Albertistarum, & Thomistarum, periculosissimos scopulos tutò navigare potest, confugit. Paulò post Illustrissimus ac Celsissimus Elector FRIDERICUS tantam ingenii facultatem, tam singularem industriam, tam acre studium, tam accuratum judicium, tantamq; vim ac energiam in concionando admirabili delectatione animadvertens, propriis impensis circa Annum Millesimum Quingentesimum Duodecimum die Sancti Lucæ insignia & privilegia Doctoratús offerri curavit, eumq; jurisjurandi religione, maximo & sanctissimo fidei vinculo, obstrinxit, ut fructuosæ eruditionis cælestis disciplinæ docendæ, erroribus Hæreticorum juxta illius regulam tollendis ac evellendis, ut & Paulinis Epistolis publico loco interpretandis